

Aspice quam præsens THEODORI industria multos
Exuperet, palmamque usu præuertat & arte,
Dum Podagræ nodis tophisque innexus inulta
Tot monumenta parat magnum celebranda per orbem,
Iamque senex plane, sibi tot vernantibus ausis
Immortale facit nomen, seque abdicat umbris.

Ille & inaccessas Nabathæa per aquora gentes,
Atque alio penitus terras sub sole iacentes
Expressit scalpro, moresque habitusque DEOSQUE
Informes, nudas gentes & prælia cruda,
Arte noua effinxit, signisque inscripsit ahenis.

Ille Getasque Scythasque truces, Regesque Ducesque
Pannonios, structasque acies & sceptræ RODOLPHI
Cæsaris, Austrasiæque Duces, magnosque penates
Magnifico insculpsit operi insignique labori.

Ille tot aratis Emblemata publica signis
Protulit, ingenuos formans in imagine mores,
Erudiensque animos descriptis ære figuris.

Iamque recens adeo, quo non præclarius ullum
Extat opus, studio nocturno, operaque diurna
Confectum, artificisque impensa & sumptibus amplis
Exactum, quo se ter maxima ROMA stupendam
Exhibet, atque nouis iterum Natalibus exit.
Nec sese formis septem pulcherrima ROMA
Iactarit, quantum monumentis undique præscis
Fulserit, antiquis passim celebrata Colossis,
Thermis, magnificis Regionibus, Amphitheatris.
Omnia quæ medios inter nunc publica soles
Edita, & artificem THEODORVM sculpta fatentur.

At tibi digna tuo quænam Boissarde labore
Præmia Dii dederint merito? qui cuncta perita
Ipse manu præscripta notas & præcipis Autor.
Non tua lethæis mergetur fama sub undis,
Orbis & Urbis opus totus mirabitur istud,
Par quod amicorum Boissardus & ille Bryæus
In medium socio modo proposuere labore,
Ambo senes septem numerantes lustra senectæ,
Ambo nodosa distorti membra podagra.

Viuito sorte noua ter florentissima ROMA,
Cumque tuo felix operum Boissarde Bryæo,
Pro tantis meritis Superos sperate fauentes.
Pergite in Exemplum seros ornare Nepotes,
Nomen & æterna de posteritate mereri.
Ecquid in Exemplum laus hæc referenda probandum
Nimirum studii tantum, tantumque operarum
Decrepitos potuisse senes tolerare? quid obstat
Vt simili se laude ferant de more minores.

Hæc igitur præsens, quam cernis amice, tabella
Effigiem illius THEODORICOMINUS offert:
Tu grates illi pro exhausto solue labore,
Illius ut que opera quoque deinde fruare, senectam
Sculptori vegetam letamque precare benignus.
Tum si fata diem component sera supremum,
Vt mensis Diuum & iucundo Nectare uiuat,
Æternumque ferat post ultima funera Nomen.